S. PHILIPPI NERII
CONGREGAT. ORATORII
FUNDATORIS
DICTA, MONITA, CONSILIA, GNOMÆ
ATQUE SENTENTIÆ VERE AUREÆ:
seu
VITÆ SPIRITUALIS
DOCUMENTA
UNICUIQUE HOMINUM STATUI
PERQUAM ACCOMMODA
*Ad Exemplar Cracoviense
Anni 1664.*
EMENDATIÙS & ACCURATIÙS
Spectato fonte Italico, adjectisque è Vita Sancti à PP. Bacci
& Bernabæo *conscripta, quæ exstat apud* Bollandistas, tum ex
Bulla Canonizationis *pluribus
hoc * Asterisco signatis punctis.*
REIMPRESSA
Permissu Sueriorum.
EDITIO II. Auctior priore
*Cui quæ accesserunt, notantur
duobus Asteriscis.* **

Lublini Typis S.R.M. in Collegio
PP. Trinitariorum 1784.

Ex Bulla Canonizationis S. PHILIPPI NERII. §. 74.

* *

His virtutibûs, ac donis, quibûs à DEO tam liberaliter auctus est Philippus, *tantæ exstitit mortalibus admirationi, ut, qui Servum DEI nôssent, ejus sanctitatem ubique prædicarent, & prædicti Prædecessores Nostri summo honore ac veneratione prosequerentur.* Clemens *Prædecessor prædictus ejus manus etiam osculans, & Gabriel* Paleottus *in libro, quem scripsit* de Bono senectutis, *Philippum adhuc viventem,*

tem, tanquam verum eximiæ sanctitatis, atque virtutum omnium exemplar proposuerit: & Augustinus *dictæ S.R.E. Cardinalis* Veronen. *nuncupat. libellum, quem composuit Beato Viro itidem vivente,* Philippum, *seu* de lætitia Christiana *inscripserit. Summæ etiam venerationi habitus est à Sanctis Viris, & quàm plurimis DEI famulis: ut, à* S. Carolo, *qui quotiescunque eum adibat, ponere genua, & manus ejus osculô petere consvevit.*

Quamvis B. Philippus in Album Sanctorum Anno 1622. Die 12. Martii relatus sit à Gregorio XV. non tamen hic, sed ejus Successor Urbanus VIII. Bullam Canonizationis expedivit VIII. Idus Aug. 1623.

1. Dæmon, utpote superbus, & amator tenebrarum ſpiritus, nulla alia meliùs vincitur ratione, quàm vera cordis humilitate, & simplici, claraque, remoto omni velô, peccatorum ſuorum ac tentationum, Confeſsario facta maniſeſtatione.

* Quemadmodum autem S. Joannes Evangeliſta illud continuò inculcabat: *Filioli diligite alterutrum*; sic Philippus nihil ſuis crebriùs iterabat, quàm: *Eſtote humiles, non alta sapientes, ſed humilibus conſentientes.* Idem omnium hominum nequiſsimum sese appellabat, quod quidem tam conſtanter affirmabat, ut ex intimo cordis affectu eum loqui satis apertè conſtaret. Rogavit aliquando Philippum piiſsima quædam fæmina, aitq;: „ De rebus tuis aliquid, Pater, apud me habere velim, scio enim te eſſe ſanctum„. Quo dicto ille vehementer commotus, irato vultu, *Apage*, inquit, *diabolus*

lus sum ego, non sanctus. Solebat quoque dicere: ,, Me miserum! quot rustici homines, quot inopes puellæ præcedent me in regno cœlorum. ,, *Bernab. apud Bolland. C. 22.*

2. Qui profectum in spiritu facere desiderat, debet secundùm Patrum, veterumque Monachorum regulas, mundum putare pro nihilo; magni omnes facere; seipsum contemnere, contemnique ab aliis nihil curare. * Atque hanc suam sententiam breviùs explicabat Philippus hisce S. Bernardi (quæ etiam B Ludovicus Bertrandus usurpabat) verbis: *Spernere mundum, spernere nullum, spernere seipsum, spernere se sperni.* Bacci in Vita. L. 2. C. 19. n. 27.

** Ab honoribus atque Ecclesiasticis dignitatibus alienus, adduci nunquam potuit, ut pensiones atque beneficia reciperet. Canonicatus in Urbe primos, Episcopatum, & Cardinali-

dinalitiam dignitatem à piæ etiam memoriæ Gregorio Decimoquarto, & prædicto Clem. Prædecessoribus Nostris sibi oblatam omnino recusavit. Humillimus fuit, atque Beati Francisci exemplô se maximum ex peccatoribus constanter affirmabat. *Ex Bulla Can.* §. 50. *&* 51.

3. Semper ab humano pectore humilitatis spiritum, & submissionem requisivit DEUS: nec est, quod illi displiceat magis, quàm propria suiipsius intumescere æstimatione. * Unde B. Philippus monebat, ne quis seriò, vel joco quidquam proferret, quod propriam laudem & gloriam redolere posset: & si quis tale interdum proferret, mox eum corrigebat dicens: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Bernab. apud Bolland. *C.* 22. *n.* 304. *&* 305.

4. Cùm quod committitur peccatum, vel defectus, cogitandum est: in superbiæ pœnam id à DEO permis-

misſum eſse; eſtque perniciofiſſimum, ſuos excuſare defectus. Ac propterea cùm quis labitur, debet dicere: ,, si fuiſsem humilis, nequaquam cecidiſsem. ,,

5. Si quis defectûs admiſsi moneatur ab altero, debet monitionem eam animô hilari humilique accipere, nec ideo triſtitiam aut faſtidium admittere; quia ſæpe tædium tale, cui ex ſuperbia diſplicet correctio, multò quàm ille ipſe, qui admiſsus erat defectus, damnosius eſt.

** Summè itaque displicebat *Philippo*, si quis se excusaret, dicebatq; quòd, qui vellet evadere Sanctus, non deberet (exceptis casibûs aliquibus) ullo modo sese excusare, sed semper fateri culpabilem, quantumvis non eſſet verum id, de quo moneretur. Si quis autem se excusâſſet, hunc talem, *dominam Evam* solebat appellare. *Bacci L. 2. c. 17. n. 22.*

 6. Crux,

6. Crux, & tentatio, nequaquam à DEO petenda ſunt cum quadam de propriis viribus ad eas ſuperandas præſumptione. Humiliter tamen & confidenter peti ab EODEM poteſt gratia ac vires, ad promptè hilariterq; ſufferendum id omne, quod Divinæ nobis imponere viſum fuerit Majeſtati.

7. Dum quis ex morbo decumbit corporali, cogitare debet, ac dicere: *iſthanc mihi DEUS immiſit ægritudinem eò, quòd quid à me deſideret. Quare conſtituo omnino mutare vitam, (tamen cum Ipſius auxilio) & me ad frugem meliorem recipere.* * Quod quidem licet ipſemet B. Philippus ſæpius ægrotans uſurpare ſoleret, poſtremis tamen vitæ ſuæ annîs majori lumine illuſtratus, ſuamq; vilitatem propiùs inſpiciens, ſic dicebat: *Domine, sanitati ſi me reſtituis, quod in me eſt, quotidie in pejus ruam: toties*

enim pravitatem meam me correcturum Tibi promisi, nec fidem unquam servavi; itaque posthac de me ipso diffido. Bolland. ex Bernabæo.

8. Jejunia, flagella, & ejusmodi corporis afflictationes, non debent sine Confessarii licentia adhiberi. Et quicunque id genus res proprio assumit arbitratu, aut labefactabit brevì valetudinem, aut, quod sibi grande quid præstare videatur, in superbiam labetur.

9. Quærenda quidem est scientia, sed sine curiositate, & sollicitudine. Quòdsi quid didicisti: occulta, nec ostenta; sed eo ad vitam utere emendandam.

10. Magna cordis est perfectio, discretum esse, nec terminos prudentiæ transilire. Multi tamen, eorum maximè, qui primùm incipiunt DEO deservire, quòd virtute careant discretionis, vitam aggrediuntur asperrimam, & pœnitentias suscipi-

unt longè laboriosiſsimas, jejunando ſtrictiſsimè, horrida portando cilicia, ſuper aſſeribus nudis dormiendo, vigilando, totasq; perorando noctes. Quæ cùm ipsis improportionata sint, viresque illorum non modicè excedant: ideo deprehendunt tandem ſe & illuſos, & malè affectos, indiſpositosq; tam quò ad corpus, quàm quò ad animam.

* Dicebat proinde verus hic Magiſter indiſcretum ejuſmodi vivendi genus aſsumi quandoque ex ſuggeſtione dæmonis transfigurantis ſe in Angelum lucis, vel ob arcendum majus bonum, quod faceret homo, si eſſet ſanus; vel ad deferenda penitus exercitia ſpiritualia, metu amittendæ per hæc ſanitatis. Hinc ulteriùs magis æſtimabat eos, qui diſcretè mortificando corpus, omne ac principale ſtudium collocarent in mortificatione ſuæ voluntatis & proprii judicii, in rebus etiam mini-

mis;

mis; quàm illos, qui ſolis auſteritatibus corporis eſſent deditі. Et quamvis ipſemet ageret vitam ſat auſteram; noluit tamen in hac à ſuis imitari: quin aſſerebat, quòd, ordinariè loquendo, melius foret, plus aliquantulum præbere interdum alimenti ſuo corpori, quàm paululùm minus; cùm in priori caſu poſſit facilè adferri remedium, ſecus verò in ſecundo ob læſionem complexionis, & vires fractas. *Bacci in Vita L. 2. C. 14. n. 10. & 11.*

** Ejusdem ſententiæ fuit S. Franciscus de Sales *Philotheæ Part. 3. C. 23.* ubi hæc habet: ,, in genere ,, loquendo, satius eſt, corporales ,, vires impensiùs æquô conservare, ,, quàm eas plùs æquô deſtruere, & ,, exhaurire. Semper quippe, cùm ,, volumus, eas deſtruere poſsumus, ,, sed non semper, cùm volumus, ,, reparare ac resarcire. ,, Allegatur ibidem S. Hieronymus ad Lætam

ita

ita scribens; *Longa & immoderata jejunia plurimùm mihi displicent, in iis præsertim, qui juniores & teneriores sunt.*

11. Non ita mediis inhærendum est, ut finis, in quem media collimant, nulla omnino ratio habeatur. Quare vehementer errant illi, qui nonnisi ad corporis, per abstinentias, flagella, peregrinationes, cilicia, & id genus alia, attendunt afflictationem, in eaquè conquiescunt, quasi omnis in ea sita esset perfectio; nec advertunt ea omnia media nihil omnino esse, nisi hominem ad timorem DEI, Ipsiusquè mandatorum ex amore observationem, ad humilitatem, ad avulsionem à mundo, quò toto corde DEO deserviat, adducant.

** Hæc sententia D. Philippi est quò ad rem eadem cum doctrina priscorum Patrum à D. Thoma approbata & explicata, ut colligitur ex Cassiano *Collat.* *1. C. 7.* ubi haben-

habentur sequentia: „ Jejunia vi-
„ giliæ, meditatio scripturarum, nu-
„ ditas (id eſt paupertas) ac priva-
„ tio omnium facultatum, non perfe-
„ ctio, sed perfectionis inſtrumenta
„ sunt: quia non in ipsis conſiſtit
„ disciplinæ iſtius finis, sed per illa
„ pervenitur ad finem. „ *Vid. S. Thom.* 2. 2. *q.* 4. *art.* 1.

12. Sunt nonnulli, qui ſenſim ſeſe novis ac novis oneribûs aggravent, imperentquè ſibi in dies ſingulos & coronas plurimas, & Horas Virginis Sanctiſsimæ, & officium defunctorum, & diverſas orationes alias in alios fines, & complura præterea alia, quæ licet fortè bona ſint ſingula, omnia tamen ſimul nimia ſunt, & obruunt oraturum, ac tandem, ſuperante nauſea, omnino relinquuntur, præterquàm quòd tot onera mentalem impediant orationem. Bonum tamen eſt, certam aliquam ſibi imperare devotionem, eamquè

ſeriò

ſeriò proſequi, nec unquam intermittere.

13 Non eſt opus, omnia uno velle perficere die, & intra quatriduum, ſanctum fieri; ſed pedetentim & gradatim pergendum eſt. * Unde ſæpe hic ſanctus in memoriam revocabat illam Priſcorum Eremi Patrum doctrinam, quod, si qui vellent volare abſqué alis, trahendi eſsent per pedes in terram, ne fors caderent in retia dæmonis, ambulando in mirabilibus ſupra ſe: ſed incederent per viam humilitatis & mortificationis ſuarum paſsionum. *Bacci L. 3. C. 2. n. 26. & alibi.*

14. Difficiliùs curantur illi, qui nimis multum; quàm incitentur, qui nimis faciunt parum.

15. Utiliſsimum eſt, proprias interdum interrumpere devotiones, quando ita Confeſsario videtur.

16. Si quando accidat, ut conſvetam jubeat Confeſſarius in aliud tempus

pus differre Communionem, jussaque persona nolit obsequi, sed firma in proposito perseveret suo, sentiatquè talis mandati displicentiam, id certè exigua est devotio, imò clarum pertinaciæ signum, modicæquè mortificationis, ac superbiæ, quo indignissimam scilicet sese reddit tantô Sacramentô.

17. Qui propriam scit refrenare voluntatem, & sua suæ animæ negare desideria, in præalto virtutis gradu est. Nescire autem id, nec curare discere, est secum infinitarum circumferre seminarium tentationum; & hic talis pronissimus ad indignationem est, amicitias rumpit facillimè, & rarò lætus, sed ut plurimùm melancholicus, & turbulentus est ob ea, quæ ipsi accidunt.

* Nihil antiquius habuit S. Philippus, quàm ut homines Intellectum captivarent in obsequium Christi. Ajebat enim, viri sanctitatem trium digito-

digitorum ſpatiô contineri: atque hæc dicens, digitos ipſos fronti admovebat: deinde rem planiùs explicans, *Tota hominis perfectio*, ajebat, *in mortificando propriæ rationis conſilio ſita eſt.* Quamobrem cum illum adibat quiſquam, qui ſanctitatis opinione floreret, mortificationibûs virtutem ipſius experiebatur, quodſi hominem dominantem animo ſuo & sibimet acriter imperantem videbat, optimè de illo exiſtimabat; sin autem, ejus virtutem valde ſuſpectam habebat. *Bolland. è Bernab. C.* 23. *n.* 327.

** Jn Chriſtiana mortificatione adeò præcellebat, ut meritò habitus fuerit ejusdem virtutis singularis magiſter, & in primis, mentis discursum, quem ipse rationalem nominare consveverat, aſſiduè comprimere & captivare intellectum in obsequium Chriſti ſtuduerit, ideoquè ea ipse plerumque faciebat, & facien-

cienda proponebat aliis, quæ intuentibus animi potiùs levitatem atque ſtultitiam saperent. *Ex Bulla Can.* §. 56.

18. Non eſt certum interioris devotionis ſignum exterior; ne ipſæ quidem lachrymæ. Nam etiam fæminæ non bonæ lachrymantur facillimè, nec eò tamen ſanctæ ſunt.

** Dicit quidem S. Philippus. hæc non eſſe signa devotionis interioris; non tamen ea reprobat, quandoquidem etiam Ecclesia non modò externam in precibus vult compositionem ac devotionem, sed etiam in Miſſali præscribit Orationem *pro petitione lacrymarum.* Quin & de S. Philippo hæc habentur in Bulla Canoniz. §. 37. In ipsa Paſsionis Dominicæ memoria, atque iniquorum hominum ingratitudine gemitus ſundebat uberrimos, & miraculo tribuebatur, quòd præ aſsidua lacrymandi consvetudine vim oculorum non amisiſſet.

19. Siquis repulſam patiatur apud Principes, aut Superiores, id ne ægrè ferat, nec ullum forinſecùs ſignum det indignationis, ſed ad eoſdem redeat cum eadem vultûs hilaritate, omnemquè illis ſuſpicionem extorqueat, animi eâ repulſâ exulcerati.

20. Si quando expediret perſonam inſignem notabilis defectûs commoneſieri, conſultius eſset, corrigere in ſpecie perſonam tertiam; quòd ita faciliùs, ac ſvaviùs, pro ſe eam acciperet correptionem perſona illuſtris; nec ita indignaretur, quòd in ſe alius ſibi ſumere magiſterium audeat.

21. Qui ſibi ab aliis vult multum obediri, imperet parum.

** Gnomæ hujus in seipso formam expreſsit Philippus uti semper svavis ac benignus, ita parcus in imperando; non tam enim imperare, quàm potiùs exhortari solitus

erat

erat in hunc modum: ,, Placeat fa-
,, cere hoc, vel illud: ,, imò quandoque subjungebat; ,, quod si fortè
,, id grave videtur, mox exequar i-
,, psemet ego. ,, *Bacci L. 1. C. 19. n. 14.*

22. Obedire sine discursu, certoquè sibi persvadere, id, quod imperatur, esse eorum, quæ posiit facere, optimum; optima est obedientia. Et qui in aliqua Congregatione est, debet ad obediendum esse longè promptissimus, & res omnes alias propter communes relinquere.

* Addebat iste Sanctus, quòd melius, majorisque meriti sit obedire Æedituo, aut Janitori, dum quis ab illis evocatur, quàm manere orantem in cubiculo. Hortabatur proinde suos Sacerdotes, ut, quò ad horam & locum, seu Aram celebrandi, ab arbitrio Æditui penderent toti, & vocati ad dicendam Missam, vel Confessiones excipiendas, mox reli-

ctis

ctis quibusvis negotiîs, se conferrent ad Ecclesiam: quòd quidem ipsemet Philippus observavit exactissimè, atque in hac prompta obedientia, & obsequio præstando Fidelibus, multum momenti reponebat. *V. Bernabæus apud Bolland. c. 11. n. 145.*

23. Non sufficit solùm honorare Superiores, honorandi insuper sunt æquales, imò & inferiores, utquè omnes honore prævenias, conandum est. *V. Paulum ad Rom. 12. 10.*

24. Fugere omne genus singularitatis, ad virtutem pertinet; nec appetere sese aut esse plus aliîs, aut aliîs plus facere.

* Ideo autem singularitatem omnem fugiendam esse docebat sanctus, quod hæc ut plurimum sit origo & fomentum superbiæ præsertim spiritualis, quâ vix aliquid periculosius: ac propterea à degentibus in communitate volebat observari vitam & mensam communem; id, quod etiam

Ben-

Benedictus XIV. Papa in suis Operibus de Servorum DEI Beatificat: *L. 3. C. 29. n. 7.* hujus ipsius *Philippi*, aliorumq; Sanctorum sententiis & exemplis, ad evitandum singularitatis vitium, eggregiè comprobavit. Displicebat quoque *Philippo*, si quispiam extra communem refectionem cibum sumeret: hinc uni contrarium operanti dixit: ,, Tu nunquam habebis spiritum, si hac in re non te emendaveris. ,, *Bacci L. 2. C. 14. n. 6. & C. 17. n. 26.* ubi etiam de evitandis ob periculum vanæ gloriæ spiritualibus solatiis in locis publicis, quæ solatia orationi in proprio cujusvis cubiculo reservanda esse dictitabat.

25. Raptus, ecstases, & lacrymæ, palam ante oculos plurimùm suspecta sunt. Nam gratia amat umbram & recessum cordis, nisi aliud utilitas proximi exigat; natura verò propriam quærit excellentiam, amatquè videri palam, & mónstrari 26.

26. In bono ne ſis tardus, nam nec mors tardat: & beatus juvenis, cui tempus ad benè operandum concedit DEUS. * Unde B. Philippus videndo adoleſcentes & juvenes, non poterat ſe continere, quin protinus diceret; *O Vos beatos, quibus tempus ſuppetit ad bene operandum!* De his autem si quis forte nuntiaret, quòd magnos in ſpiritu progreſsus facerent: ,, ſine, ajebat, pennas emittant, tunc enimvero videbis, quò volatum dirigant. ,, *Bolland. C. 22. & 25.*

27. Otium, res peſtilens homini Chriſtiano eſt, ac propterea ſemper quid agendum eſset, maximè cùm quis ſolus in cubiculo eſt, ut; vel legendus liber quiſpiam ſpiritualis, vel vitæ Sanctorum, vel Scriptura ſacra; vel dicenda corona, vel componendi libri, vel ſternendus lectus, vel quid ſimile, ne quis à dæmone inveniatur otioſus.

28. Ad proſequendam virtutis

viam,

viam, non modicum conducit cogitare: non esse ullum in hac vita purgatorium; sed vel cœlum, vel infernum. Nam is, qui servit DEO seriò, omnem sibi crucem & afflictionem vertit in gaudium & consolationem, habetquè suum interiùs paradisum; sed qui contrarium facit, sensusquè sequitur, habet & in hoc, & in altero mundo infernum.

29. Frequens peccatorum confessio, animæ nostræ magnorum est occasio bonorum, quòd ipsam expurgat, sanat, & in Divino confirmat servitio, ac propterea nunquam destinato tempore, quocunque etiam sese ingerente impedimento, esset intermittenda; sed priùs confitendum, inde negotium aggrediendum, quod utiquè tali cum auxilio feliciùs expediatur.

30. Melancholia, animique conturbatio, non parum adfert spiritui nocumenti, cùm ex adverso lætitia

con-

confortet cor, multumque juvet perſeverantiam in bona vita. Quocirca continuò deberet eſse animo hilari, ſerenoque ſervus DEI.

** Bulla Canonizationis §. 40. hæc habet de Philippo: „ Singulari induſtria per Chriſtianæ lætitiæ semitas deduxit adolescentes, quâ vel septem Urbis Ecclesias, vel Xenodochia, vel alia pia exercitia frequentantes labore ac moleſtia ex parte levarentur. „

31. Scrupuli, quòd inquietant animum, redduntque melancholicum, omni ſtudiô, ac induſtria cavendi.

** *Vide infra n. 90.*

32. Non debent gratiæ, quales ſunt: ſanitas, divitiæ, proſperitas, & ſi quæ ſimiles, à DEO peti abſolutè, ſed conditionatè; si videlicet ita DEO placeat, utileſque ſint, & non noxiæ petenti.

33. Si quam interiorem gratiam concedat DEUS, nulli ea, præterquam

quàm Patri ſpirituali, manifeſtanda eſt; alioquin perditur.

34. Qui inſerviturus ægroto eſt, ægrotum illum, ipſum putet eſse Chriſtum; & quidquid operæ ægroto navaverit, ipſi ſe putet navare Chriſto: quia ſic majori cum amore præſtatur ea opera, & profectu.

35. Cùm boni quidpiam ab altero factum alter aliquis ſibi attribuit, indeque gloriatur, vehementer gaudere debet is, qui illud opus fecit bonum; idque in beneficiis Divinis ponere, quòd alius id ipſi apud homines ſuffuretur; quia ſic idem illud majori cum merito recuperabit apud DEUM.

36. Peſsimè facit, qui ſibi confidit: & is, qui ſeſe in peccandi conjicit occaſiones, dicendo: *non labar*; labitur enim plerumque majore cum damno animæ ſuæ. Ideo qui non vult labi, non debet ſibi confidere, & de ſuis præſumere viri-

bus, ſed Domino dicere: *ne mihi confidas, Domine; neve aliud à me, quàm peccatum, exspectes: ni mihi ſis auxilio, labar certiſſimè.*

* Si fortè *B. Philippus* quempiam in grave aliquod crimen incurriſse intelligebat, *Utinam verò*, ajebat, *his ego pejora non commiſerim.* Idque erat cauſæ, cur ſæpe attentiſſimo animô legeret res geſtas *S. Mariæ Ægyptiacæ*, quòd ſcilicet converſionem ejus ardoremq; in ſtudio pænitentiæ maximè ſibi imitandum putaret. Ad hæc quotidie hoc pacto DEUM obteſtabatur: *Domine à me hodie Tibi cavendum, tradam enim Te, & mala omnia perpetrabo.* Aliàs quoque ajebat: *Vulnus lateris Christi magnum quidem eſt, ſed niſi me regat ipsemet DEUS, ego certè majus efficiam.* Sacram quoque Euchariſtiam ſumpturus, hæc intra ſe dicebat: *Teſtor Domine, nihil, niſi malum agere poſſum,*

possum, nisi Tu adjuves me. Ajebat præterea hac una ratione sese ad sacrificandum parari, ut, quod in se foret, ad omnia scelera promptum se atque expeditum agnosceret. *Bolland. ex Bernab. C. 22. n. 295.*

37. Juvenes ad removendum magis à se periculum impuritatis omne, omnem vel minimam peccati hujus debent declinare occasionem. Ideo non probabat Sanctus hic, ut sui filii spirituales se alter alterum contingerent, ne secundùm manus quidem, & ne quidem jocô.

* Imò etiam inter fratres & germanas paris ætatis sorores jocos omnes prohibebat. Vetabat insuper quaslibet blanditias cum infantibus quantumvis sanguine junctis, easq; ne quidem catis adhibendas svasit juvenibus Anglicis in patriam remeantibus. Ultra hilaritatem semper juvenibus commendatam, ultra hu-

militatem & compaſsionem cæteris, si fortè hac in materia corruiſsent, quinque præcipua dabat monita, 1. ut vitarent otium. 2. ne ſuum corpus nutrirent delicatè. 3. Ut eſsent addicti orationi. 4. Ut frequentem haberent uſum Sacramenti pænitentiæ & Euchariſtiæ. 5. Ut declinarent pravorum conſortia, & cum probis ac morigeratis converſarentur; hocque ultimum illis æquè expedire dicebat, atque ipſam Sacramentorum frequentiam. *Bacci L. 2. C. 7. & 13.* ubi plura *de vitandis occaſionibus, & dæmonio meridiano.*

38. Cum anima in DEI eſt reſignata manus, Divinoque contenta beneplacitô, eſt in manibus bonis, multumque de felici ſecura ſucceſsu. Et convenit valde ægrotanti, eſſe reſignatum, DEOquè dicere: *Domine, si quid à me velis, ecce præstò ſum, quanquam nil boni feci: fac mecum & de me ſtatue, quidquid Tibi placuerit.*

36. Qui

39. Qui aliud quid vult, quàm Chriſtum, non ſcit, quid velit: qui aliud quid petit, quàm Chriſtum, neſcit, quid petat: qui alium ob finem quàm propter Chriſtum, laborat, neſcit, quid faciat.

40. Nulli rerum creatarum, quantumcunque exigua illa ſit, ac vilis, adhærendum eſt; ſed in humilitate inter creaturas converſandum, talisque deſiderandus ſtatus, in quo unius etiam egeas oboli, nec eum tamen acquiras mendicando.

41. Nunquam conſequetur ſpiritum, qui cupidus habendi eſt.
** *Vide infra n. 54.*

42. Decem perſonæ, mundanis extricatæ lucris, ac commodis, totum converterent mundum.

43. Anima, quæ ſe totam dedicat DEO, DEI eſt tota.

44. Amor, quem quis ſuperfluum parentibus, ſanguini, ſtudiis, vel ſibi impendit ipſi, totus eripitur DEO.

* Sancti Martyres *Marcus & Marcellianus* (prout hic Vir DEI scripsit in quadam Epistola) cum tot jam tormentorum genera fortiter superâssent, denique patre ac matre instantibus eò prope adducti, ut Christum negarent, nisi eos Sanctus *Sebastianus* verbis gravissimis confirmâsset. *Bacci L 2. C. 21. n. 13.*

45. Qui DEUM amore amat vero, ipsumque super omnia æstimat, sentit interdum copiam lacrymarum, concursumque gratiarum ea abundantiâ, ut cogatur exclamare: *satis est Domine; sine me.*

** Fuit inprimis *Philippus* caritate in DEUM admirabili, ut internus ille ignis nonnunquam, dum attenderet ad Divina, redundaret in corpus; & facies atque oculi scintillulis micarent, atque etiam ex improviso illa Apostoli verba sæpiùs usurparet: *Cupio*, sed mox animadvertens, suæ in DEUM devotionis

oc-

occultandæ gratiâ, reliquum sententiæ reticebat, nimirum: dissolvi, & esse cùm Christo. *Ex Bulla Can.* §. 35.

46. Pro se quisque nec locum habere debet, nec tempus, cum proximus adjuvandus est; & suos deserere gustus, oratiunculasque propter proximum, est Christum propter Christum deserere; estque ea perfectio non vulgaris; id, quod pauci nôrunt. * Certè *Philippus* ipse si à quoquam inter orandum per janitorem accerseretur, statim ad illum descendebat, neque propterea, ut ipse affirmabat, ab oratione distrahebatur, sed ex operibus pietatis magis magisque ad eam excitari atque inflammari se sentiebat. *Bernab. C. 14. n. 182.*

47. Cum servus DEI non habet quas patiatur, tribulationes ullas, neque est, qui ipsum persequatur, injuriâve afficiat, si suum sibi augere velit spiritum, fingat animo & cogita-

gitatione nebulonem aliquem, qui illi obvius convitia faciat, probra ingerat, verbisq; injuriosis facta insuper adjungat immania, salutet scipione, gladiô feriat, pugnîs ad livorem usque satiet: atque ita pessimè habitus, magno charitatis ardore, ad exemplum Servatoris, inducat animum, ad acceptam injuriam auctori condonandam: pacatîsque, qui fortè insurgerent, iræ, atque indignationis fluctibûs, omniq; posthabita vindicta, amore DEI, heroa illi ignoscat charitate, non secus, acsi eam reapse injuriam accepisset. Quo exercitio paulatim assvesit animus ad veras etiam injurias faciliùs ignoscendas; ut miles, qui in sciamachiis exercetur, & pugnis umbratilibus, ad regendum gladium assvefacit sensim manum, artemque addiscit, quâ post utatur, etiam cùm seriò pugnandum est.

48. Servo DEI necessaria est patientia.

entia. Nec debet quis angi tribulationibus, sed æquanimiter exspectare consolationem. Nam DEUS nullam unquam immittit crucem, à qua non etiam immittat consolationem. Et loquendo summatim, vita Servorum DEI aliud non est, quàm crux, & consolatio alterna.

49. Illi, qui immissam à DEO non fert æquanimiter crucem, verè potest occini: *tu non es dignus, quem visitet DEUS, nec tantum mereris bonum.*

50. Cum cruces in nos, morbi, & quæcunque alia adversitatum ac contrariorum genera invadunt, non sunt ea timidè fugienda, sed fortiter devincenda. Nam si unam tu quidem effugis crucem, incides in pejorem aliam. Et qui pruinam declinat, obruetur à nivibus, & qui evadit ursum, incurret in leonem.

** De patientia B. Philippi hæc prostant in Bulla Canonizationis §.

54. 55. ,, Tranquillo semper animô
,, excitatas tam adversùm se, quàm
,, Oratorii sui exercitia persecu-
,, tiones tolerans, in quibus etiam
,, pro persecutoribus verus Christi
,, imitator assiduè deprecabatur; isq
,, fuit precationum fructus, ut ex eis
, plurimos sola patientiâ ad DEUM
,, converterit; qui verò ab inceptis
,, non destitêre, Divinam ultionem
,, sint experti. Magnæ insuper pa-
,, tientiæ exstitit in perferendis diu-
,, turnis corporis infirmitatibus, qui-
,, bus singulis fere annis divexeba-
,, tur ita, ut ad extremum vitæ
,, perductus, oleo sancto quater in-
,, unctus fuerit; quo autem tem-
,, pore ægrotabat, nulla unquam
,, de doloribus habita querimonia,
,, sed hilaris facie incredibilem a-
,, nimi lætitiam indicabat. ,,

51. Cum ad sumendum in Sacra Communione gloriosum Christi Domini Corpus, in quo omnes cœli deliciæ sunt abscunditæ, accedit

Ser-

Servus DEI, ſtet in timore, & præparet ſe ſolitò ampliùs ad obventuras tentationes. Otioſas enim non patitur DEUS mirabiles has gratias, quas in illo Divino diſtribuit Sacramento: *magis enim gratia horret otium, quàm vacuum natura*.

52. Cum quis novum in anima sua, atque extraordinarium ſentit ſpiritum devotionis, præparet ſe, ob dictam rationem, ad tentationem aliquam, atque crucem. Inſuper & cum quis ardorem advertit ſpiritûs, petat à Domino vires, ut ſufferre poſſit omne id, quod illi à cœlo ferendum imponetur; & ne à tentationibus in peccatum aliquod grave, vel leve præcipitetur.

53. Si quis quæreret: quænam maxima crux Servo DEI poſsit accidere? reſponderi poſset: *Crucem ipſius eſse maximam, omni carere cruce*. * Quamvis autem

Philippo multa & præclara de virtute Patientiæ dicere consvetum fuerit, hæc tamen frequentiùs inculcabat; nimirum *Christiano homini nihil accidere posse gloriosius, quàm pati pro Christo, & verè DEUM amanti nihil molestius esse, quàm si pro Illo pati non possit.* Quapropter si forte è suis quispiam diceret, se adversa ferre non posse. *Imò verò*, inquit, *dic potiùs tam præclaro te dignum non esse beneficiò: nullum enim certius Divinæ in nos dilectionis est signum; quàm cum premimur adversis*, Bolland. ex Bernab. C. 25. n. 344.

54. Caveant sibi, juvenes quidem à peccato carnis, senes verò avaritiæ: fugiendo illud, istud vincitur resistendo. * Hæc dicendo addebat *Philippus*: omnia quidem peccata displicere summopere DEO, potissimùm tamen *Luxuriam* & *Avaritiam*, de qua, non pauca in ejus monitis, & inter

alia

alia, afserebat, certum fibi effe ab experientia, quòd facilius soleant converti homines *Senfuales*, quàm *Avari*; hinc avaritiam *pestem animæ* vocitabat: de feipfo autem dicebat: *vellem reduci ad indigentiam unius Julii, aut Grofsi, pro mei fuftentatione, quem tamen nullus mihi daret; gratiamque fpecialem DEI reputarem, si morerer in Xenodochio*: Suis porro dicebat: *DEUS non deerit vobis in rebus temporalibus, fed cavete, ne, * illis abundando, deficiatis in fpiritu*. Bacci L. 2. C. 15.

55. Semper timendum, & nunquam fibi confidendum eft; quia dæmon ex improviso adoritur; & tenebrîs involvit intellectum; quique non timet, victus eft, nam DEI auxiliô deftitutus eft.

56. In tentationibus, quas libido corporis fuggerit, confeftim ad DEUM recurrat tentatus, fignumque Sanctæ Crucis ter imprimat pe-

pectori, & dicat: *Chriſte, Fili DEI, miſerere mei*; vel Verſum: *DEUS in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina*, vel: *Cor mundum crea in me DEUS, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis*. *Et oſculatus terram, dicat tentatori: *Accuſabo te ante Patrem meum ſpiritualem, ſi me diutiùs tentaveris.*

57. Contra tentationes, quando eæ noctu ſolent efferveſcere, valde utile eſt, ante recitare, quàm cubitum te conferas, Hymnum: *Te lucis ante terminum*.

58. Qui orare neſcit, non novit DEUM. * Porro è ſuis cuipiam flagitanti, ut orandi artem ſibi monſtraret, dixit hic Sanctus: *Eſto humilis ac obediens, & Spiritus Sanctus te docebit*.

59. Nihil utilius homini oratione eſt, & abſque hac non diu in vita ſpiritùs perduraveris. Propterea in dies ad hoc potentiſsimum

fa-

salutis medium recurrendum eſt, non tamen abſque Confeſſarii arbitratu. ** *Vide infra n. 64.*

60. Homo, qui non orat, brutum eſt. * Quamobrem ipsemet hic Sanctus dum aliquando ægrotaret, oratione tantisper abſtinere juſſus à medicis, cum rem diutiùs ferre non poſset, ad Gallonium ſe convertit, dixitque. *Heu mihi! Antoni, in beſtiam planè mutatus ſum.*

61. Juratus ſalutis noſtræ hoſtis, nil aliud timet, nec odit plùs, neque quid ſtudioſiùs, quàm orationem, conatur impedire.

62. Inter orandum non ita affigantur oculi corporales imagini cuipiam, ut ab ea nunquam avellantur; ſic enim cerebro noceret. Memoriæ tamen poterit imago inſervire, ut eò faciliùs nobis in mentem veniat *E. g.* Incarnationis Verbi, vel Nativitatis Chriſti, vel Ejuſdem in cruce mortis. Quòd

si

si Sancti alicujus, Sanctæve, ea imago ſit, proderit, ut eorundem virtutes in mentem revocemus, eoſque deprecemur, ut pro nobis apud DEUM intercedant.

63. Legiſse Sanctorum vitas, plurimùm juvat orationem; & quando ſpiritus inclinat ad easdem meditandas, meditandæ ſunt, & quando ad conſiderandam paſsionem Domini, conſideranda eſt: nec aliter, ac impellit ſpiritus, aut orandum, aut meditandum eſt. * Erant autem Divo Philippo plerumque in manibus *Collationes Joannis Caſsiani*, Thomæ à Kempis *de Imitatione Christi* aureus libellus, Vita *S. Catharinæ Senenſis*. Beati *Joannis Columbini*, ac *S. Mariæ Ægyptiacæ*: *Ludovici Granatenſis* opera, *Seraphini de Firmo* Pharetra Divini Amoris. Porro ex Vitis Sanctorum Patrum, atquè ex iis, quas doctiſſimus idemque piiſſi-

issimus Lipomanus congessit, aliquid ferme quotidie aut legebat, aut audiebat. *Bernabœus apud Bolland. c. 14. n. 184.*

** S. Franciscus de Sales *Philot. P. 2. C. 17.* quasi literas à Sanctis de cœlo missas recommendat legendos libellos *S. Bonaventuræ, Joan. Gersonis, Dionysii Carthus. Lud. Blosii, Granatensis, Didaci Stellæ, Ariæ, Pinelli, Lud. de Ponte, Joan. Avilæ;* necnon *Confess. S. August.* Epist. S. Hieron. *S. Hieronym.* & *Pugnam Spiritualem* fortassis *Scupuli.* Quibus accensendi veniunt Libelli ipsiusmet S. *Francisci* præsertim *Philot.* & *Spiritus* ejusdem S. è scriptis *Petri Camus* excerptus, in cujus postremi libelli *P. 5. C. 7.* plurimùm commendatur supradictus *Pugnæ spirituatis* libellus huic Sancto familiarissimus.

64. Orationem vehementer conturbare solent ea, quæ superveniunt,

unt, phantasmata, multique eam, ob irruentium cogitationum molestias, intermittunt, id quod neutiquam probem. Nam, non obstante quacunquè phantasia, quamdiu id fieri poterit, in oratione perseverandum est; & sæpe DEUS concedit in momento, quod longo non potuit tempore obtineri.

* Inter cæterà, quibûs ad magnum caritatis gradum pervenit *Philippus*, summum fuit orationis studium, cui inexplicabili desideriò semper addictus, omnia Congregationis exercitia in eam quodammodo tendere curavit, ut inde merito *Oratorii Congregatio* fuerit appellata. *Bulla Canonizationis* §. 38.

65. Præ aliis. quæ à DEO petenda sunt, est *perseverantia finalis* in bonis operibus, & sincero servitio DEI. Si enim hæc haberetur, & incepta semel duraret bona vita, spiritus multò maximus acqui-

quireretur. * Hac de cauſa omnes S. Philippus admonebat, ut Donum Perſeverantiæ finalis aſſiduis à Domino precibûs poſtularent, eoque nomine veſperi in Oratorio quotidianam precationem fieri juſſit: quemadmodum etiam ad res bene inchoandas ac perficiendas Deiparæ auxilium implorandum, & Miſsæ Sacrificio, quotidie, cum fieri poterat, aſſiſtendum eſſe docebat. *Bernabœus apud Bolland. c. 25. n. 348.*

66. Solet persæpe in prima animæ ad DEUM converſione vehemens ac fortis adeſſe ſpiritus, & poſt videtur evaneſcere, quasi animam deſeruisset DEUS, ſed magnanimum eſse, conſtantemque oportet; redibit enim. * Similia habet S. Diadochus *de perfect. ſpir. cap. 47.*

67. Vix unquam mori ſervos ſuos permittit DEUS, quin eos indicio aliquo mortis admoneat imminentis;

vel

vel certè ſpiritum ipſis ante communicet extraordinarium.

** S. Franciſcus Sal. eam diſpoſitionem ad mortem dicebat eſse optimam, ſi homini morituro adſit pro culcitra *charitas*, & pro duobus pulvinaribus *humilitas* atque *fiducia* in miſericordia DEI. *Spirit. S. Saleſii P. 2. C. 23.* Juvaret autem in frequentem uſum aſsumere pulcherrimam de morte Meditationem ex hujus S. Philot. *P. 1 C. 13.*

68. Vitæ ſpiritualis gradus ſunt tres. Primus dicitur *Vita Animalis*, eorum ſcilicet, qui ſenſibilem devotionem ſectantur, quam incipientibus largitur DEUS, ut ea dulcedine illecti, tanquam animalia rei ſenſibilis objectu, ad ſpiritualem vivendi rationem pertrahantur. Secundus gradus eſt, *Vita humana*, eorum videlicet, qui nulla ſenſibili dulcedine attracti, adverſùs pravas affectiones pro virtute pugnant,

quòd

quòd homini maximé proprium eſt ; & in hoc gradu fingit se Dominus longiùs ire , ſubtrahendo manum suam à communicatione priorum dulcedinum , ut videat animarum in spiritu conſtantiam , sinitq; eas tantisper confligere , donec , ubi aliquandiu fortiter reſtiterint , suasque tribulationes ac tentationes vicerint , rurſus concedat illis priorum svavitatum & conſolationum cœleſtium abundantiam primis illîs longè majorem. Et hic eſt Tertius gradus , diciturque *Vita Angelica* , in qua neque crux , neque ullum faſtidium ſentitur. Talis vita eſt eorum própriè , qui in edomandis vitiis & concupiſcentiis ſuis sese diu exercuerunt ; quamobrem , DEO dante , adhuc agentes in carne , quietum , tranquillum , & prope Angelicum , vitæ genus adepti ſunt. Circa quos gradus hæc erat *B. Philippi* sententia , ut sui

omnes secundum gradum tenerent, in eoq; fortiter perseverarent : hac enim ratione ſpem ſibi facerè poſſe, ad tertium illum ac perfectiſsimum gradum, Divina aſpirante gratia, provehendos. *Vid. Bernab. apud Bolland. C. 25. n. 347.*

69. Sanctorum cuicunquè deſiderare præcellere ſanctitate, id profectò non eſt ſuperbia. Nam deſiderare ſanctum eſse, eſt deſiderium amandi, honorandiquè DEI ſuper omnia; quod in infinitum etiam, si quidem poſset, extendi, ac dilatari deberet. Amore enim infinito, cùm infinita Ejus ſit majeſtas, dignus eſt DEUS. * Quamobrem Chriſtianæ perfectionis ſtudioſos etiam atq; etiam hortabatur *Philippus*, ut ne in mediocri bonitatè conquieſcerent, ſèd magno atque excelſô animô ad ſuprema contenderent, adeò ut, si fieri poſset, vel ipſos Apoſtolorum Principes ſanctitate

tate præcellerent: quòd quidem, etsi reipsa non assequerentur, tamen optandum esse, ut ea ſaltim ratione Divinæ caritati aliqua ex parte reſpondeatur. *Idem C. 14. n. 188.*

70. Nunquam proprio judicio ſtandum eſt, ſed ubiquè conſilium à Confeſſario capiendum: uti & preces ſingulorum exposcendæ.

* Cujus rei exemplum præbuit in ſemetipso iſte Sanctus, cum enim se omnium nequissimum judicaret, omnium orationibus inſtantiſſimè se commendabat: ac propterea huc illuc ad Religioſorum cœnobia mittebat, qui enixè rogarent illos, ut pro ſe ad Dominum preces funderent: id quòd ab eorum Novitiis atque tyronibus maximè poſtulabat, & quidquid beneficiorum à DEO impetraret, totum id aliorum precibus meritiſque referebat acceptum. *Bolland. è Bernabæo C. 22. n. 298.*

71. Ad perſeverandum in vita bona, sanctoquè DEI servitio, frequens neceſsaria eſt Confeſſio, ac Communio; bonæ praxes etiam ad hoc non parum adferunt adjumenti.

* Jam quod concernit materiam Confeſſionis, ſvadebat iſte Sanctus, ut Pœnitens mox à principio Confeſſionis accusaret sese de peccatis gravioribus, & de quibus major esset erubeſcentia, idque ideo, quòd ex tali accuſatione ſubſequeretur dæmonis confuſio, majorque fructus Confeſſionis. *Bacci L.2. Cap. 14. n. 9.*

** De S. Confeſſione. & de frequenti Communione vid. Philot. S. Saleſii, *P. 2. C. 19. & seqq.*

72. Pro gratiis per orationem obtinendis, eouſque continuandæ preces ſunt, donec plenè, quod petitur, impetretur. Nam ſæpe, ſuſpenſa oratione, ſuspendit gratiam & DEUS. Quare si ægrotus per orationem meliuſculè se cæperit habere,

bere, non eò remittenda eſt oratio; nam ſicut cœpit per orationem ſanitas, ita per ejuſdem vires debet redintegrari.

73. Cùm quis inter orandum, magnam perſentiſcit ſpiritûs quietem, bonum id ſignum eſt aut conceſsæ, aut concedendæ à DEO gratiæ.

* Sicut autem ad excitandum ſpiritum devotionis multum conferre dictitabat *Philippus* lectionem libri alicujus ſpiritualis, præſertim Vitæ Sanctorum, ita ariditatis tempore, mendicum ſe imaginari ſvadebat coram DEO, & coram Sanctis, recurrendo modò ad hunc, modò ad alterum Sanctum, causâ obtinendæ Eleemosynæ ſpiritualis, de qua infra. *n. 109.*

74. Multi poſtquam carnales intra ſe, aliasve adverterint tentationes, ſubdubitant, conſenſerintne, nec ne? Ideo, si perſona, quæ paſsa tentationem eſt, amorem ſentiat erga virtutem illam, quam tentatio oppugnàrat, odiumqué in idem

illud vitium ſuggestum, bonum eſt ſignum diſsensûs; item si jurare non auderet conſensisse se, ſignum eſt & iſtud diſsensûs. Nam conſensus deliberatus facilè ab anima adverti poterit.

75. De tentatione non nimis diſquirendum, datuſne ſit conſenſus, nec ne? nam hujuſmodi disquiſitio, carnalem facilè renovat tentationem.

** Elias Abbas tradit exemplô ſuo, quàm periculoſus ſuerit mulieris aſpectus, etiam ſine culpa, quòd poſtea recordatio formæ in animo relictæ se ad libidinem inflammaverit. *Pratum Spirit. C. 19.*

76. Timendæ ſunt tentationes carnales, etiam in ægritudine & ipſa etiam ſenecta, quamdiu claudi poſſunt palpebræ, & aperiri. Nam fornicationis ſpiritus nulli parcit tempori, vel ætati.

* Hinc nemini de ſe præſumendum esse affirmabat *Philippus*, ut diceret „*Ego hoc, aut illud facerem*„ sed humiliter ſentiendum, dicen-

cendumque potius: ,, Equidem quid mihi faciendum esset, probè intelligo, quid autem facturus essem, prorſus neſcio. ,, *Bernab. C. 22. n. 305. apud Bolland.*

77. Si Servus DEI tot inter ubique laqueos cum majori velit transire securitate, Advocatam apud Filium eligat Virginem Beatam, & si non possit Roſarium percurrere, hanc dicat loco *Ave MARIA* orationem: *Virgo MARIA, Mater DEI, ora pro me JESUM.* * Dicebat autem *Philippus*, hac brevi Oratione deferri omnem possibilem laudem Beatissimæ: 1. quòd invocetur Nomine ſuo, MARIA: 2. quòd ei tribuantur duo tituli præſtantissimi *Virginis* & *Matris DEI*: 3. quòd nominetur fructus ventris ſui, JESUS. Tanta porro teneritudine ferebatur erga MARIAM (quam ex *Bernardo* didicerat eſse Collum, per quód à Chriſto, tanquam à Capite, omnia bona ſpiritualia deſcenderent in myſticum Corpus Eccle-

ſiæ) ut eam svavissimè, more infantium, Matrem suam appellaret; atque Illius apparitione in ſua gravi infirmitate frui promeritus, cunctis deinde ad vesperam sese invisentibus edixerit: „ Scitote filii, mihique credite, cum id noverim, nullum aliud efficacius, magiſque potens esse medium ad obtinendas gratias Divinas, præ Sanctissima Virgine MARIA. „ *Bacci L. 2. C. 2. n: 2. & L. 4. C. 1. n. 2.*

78. Suppellex Templi parcè, nec nisi cogente necessitate expendenda eſt, eò quòd suppellex DEI ſit.

* Cara fuit *B. Philippo* parsimonia, & cum hac, nequè aliter, nisi necessitate depoſcente, voluit fieri expenſas redituum, quos, bona pauperum, & patrimonium Chriſti appellabat. In confimationem necessariæ parsimoniæ duo exempla adferebat, primum ex Cassiano de coquo ob neglectas tres lentes graviter reprehenſo, alterum de S. Antonino, qui ut parceret expensis Domûs,

lam-

lampadem Ecclesiæ, studendi causâ, adibat. Quamvis autem ut parsimonia, sic paupertas cordi esſent apud *Philippum*, nihilominus sordes quasvis oderat, dicere solitus cum Bernardo: *Paupertas mihi semper placuit, sordes verò nunquam.* Bacci *L. 1. C. 19. n. 18. & L. 2. C. 14. num. 8.*

79. Perutilis quidem est servo DEI lætitia, sed fugienda dissolutio, cavendusque spiritus scurrilis, & nugatorius. Nam qui scurrilitate delectantur, & nugis, reddunt se Divini Spiritûs incapaces, &, si quid boni intra se posſident, id brevi amittent.

** S. Ephræm scribit de se in Testamento; *nec sermo stultus è labiis meis egresſus est.* S. Joan. Chrysost. *nunquam scurrilia locutus est, neq; jocos admisit.* Pratum Spir. *C. 191.*

80. Cùm Sacerdos invisit ægrum, ne agat Prophetam, dicendo: non convaliturum ex morbo ægrum. Nam prædicta morte, recuperataquè ab ægro valetudine, sentiri potest displicentia, quòd non successerit prophetia.

* Quod spectat ægros in mortis periculo constitutos, cavebatur à *Philippo*, ne facilè crederent visionibus, illis præcipuè, in quibus longior vita promitteretur, tales enimverò sunt ut plurimùm illusiones dæmonis cupientis mori hominem absque debita præparatione ad eam: hinc addebat, minoris periculi esse, non credere veris visionibus, quàm falsis fidem adhibere. *Bacci L. 3. C. 2. n. 20. & 24.*

81. Electio Confessarii maturô institui debet consiliô; nam viæ difficilis ducem habere expertum, non modicum lucrum est: ast electus semel ne temerè mutetur, sed fides illi habeatur, & quæcunquè acciderint, cum illo conferantur.

* Atque hæc pro Personis extra obedientiam viventibus erat doctrina *S. Philippi* quò ad electionem Confessarii, quem prævia multa deliberatione, & præmissa oratione volebat eligi, nec facilè, nisi urgentissimis de causis, relinqui; eidem, locô DEI, summa simplicitate in omnibus ad ani-

nimam pertinentibus obediri, cum eo omnia animæ negotia pertractari, & absque illius consilio nihil rerum ejusmodi aggredi, certumquè fore, quòd in suo regimine DEUS illum errare non sit permissurus: qua viâ, quisquis incederet, securum illum faciebat de non reddenda DEO vitæ suæ ratione. Addebat insuper, quòd, ubi dæmon non posset qnempiam inducere in aliquem lapsum gravem, adhiberet omnem industriam ad exeitandam in Pœnitente quandam saltim diffidentiam erga Confessorem, eaque cum tempore succrescente, multum inde sensim lucraretur. At verò degentes in claustris Religiosos, si quidem in via DEI verè & seriò progredi optarent, volebat in omnibus & per omnia resignatos esse in manus suorum Superiorum. Unde ulterius majori in pretio habebat omnem illum, qui sub obedientia vitam ageret ordinariam, & cæteris communem, quàm qui extra illam proprio arbitratu vitam duceret austerrimam. *Bacci in Vita L. 1. C. 20. n. 21.*

82. Ad majorem è SS. vitis, aliisve libris spiritualibus profectum hauriendum, non ſunt hi curioſè, ſed pedetentim legendi; cumquè quis jam se compungi ſentit, aut aliquid in ſe accendi devotionis, non eſt ulteriùs pergendum, ſed ſubsiſtendum, expectandumqué, ac ſpiritus deguſtandus eſt; cumqué reſtingui cœperit, ad lectionem redeundum. * Porro ſuos, præſertim autem Divini verbi præcones, illis potiſſimum libris operam navare cupiebat *B. Philippus*, quorum titulis initium daret litera S: nempe S. Auguſtino, S. Gregorio, S. Bernardo &c. *Bernabœus apud Bolland. C. 14. n. 184.*

83. Ad bene orandum debet priùs anima profundiſsimè ſubmittere sese ac humiliare, indignamquè agnoſcere, quæ ſtet in tantæ conſpectu Majeſtatis, & ſuam DEO monſtrare inopiam, indigentiam, atquè impotentiam, & ſic se humiliatam projicere in DEUM, DEUS enim illam orare docebit.

84. Cùm quis amarô eſt animô, totuſque

tusque stomachabundus, vel sentit appetitus sensuales, molestos, ac perfrequentes, ne concidat animô, vel fatiscat. Nam cùm DEUS certam alicui largiri constituit virtutem, permittit eum contrariô oppugnari vitiô, ut confligendo, resistendoque, capacem se illius, quam propugnabat, reddat virtutis.

85. Alienum à ratione est, bonum aliquod omittere opus, eò quòd inde vana gloria sentiatur Nam quamdiu vana gloria non est ipsius *domina* operis, sed quasi quædam duntaxat *comes* & *socia*, non tollit suum operi meritum, quanquam perfectio requirat, ut in servitutem redigatur, sitque *ancilla*. * Has autem Vanæ Gloriæ species ita *Philippus* explicabat. *Dominam* appellabat, si opus præcederet, & ex ejus motivo ac fine aliquid fieret: *Sociam* dicebat, si quod opus comitaretur, id est, si in ipso bono opere sentiretur quædam laudis affectatio, quamvis opus non esset susceptum eo fine. *Servam* deniq; vo-

citabat eam, quæ ex bono opere exurgens, mox reprimeretur à sentiente eam ſuboriri. Hinc ulterius dicebat Philippus: *Advertite saltim, ne vana gloria ſit domina.* Bacci *L. 2. C. 17. n. 27.*

86. Qui Religionem cogitat, diſcat ſuam ante frangere voluntatem in iis, in quibus majorem sentit difficultatem; namquè ita faciliùs in Ordine perduraturus eſt: * Prout id ſecum eveniſſe teſtatus eſt quidam è ſacra *Capucinorum* Familia, qui aliquando accedens *B. Philippum*, ejuſque manus exoſculatus: „*Leviſſima ſunt illa quidem*, inquit, *mi Pater, quæ me olim facere jussiſti, ſi cum gravissimis Religionis oneribus conferantur; nihilominus affirmo tibi, nisi ea præcessissent, hæc deinde me neutiquam laturum fuisse.* Quamvis autem *Philippus* quoſvis Novitios ad omnes exhortaretur virtutes, præcipuè tamen eoſdem animabat ad perſeverantiam in Statu Religioso, & magnam æſtimationem beneficii vocationis, asserendo, quòd illud esset unum è præcipu

is, quæ Divina Majestas illis contulisset: & hoc quidem, (subjungebat) vobis dico ex toto corde.,, *Bernab. C. 25. n. 348. & Bacci L. 2. Cap. 7. n. 4.*

87. Cum quis ex proprio motu & voluntate statuit apud se jejunare, corpus flagris cœdere, portare cilicinas vestes, & si quæ similia, id verò Confessario non probatur, non debet ab eodem violenter licentia extorqueri.

88. Maneat quisquè domi suæ, id est, intra seipsum; neve sit syndicus & judex actionum vitæquè alienæ, nisi aut judicare aliquem temerariè, aut alicujus famam carpere, aut velit alios contemnere. ** Negligentis & desidis animæ est, vitæ alienæ correctioni intendere; illos excipio, quibus ex Officio alios, tum in familia privata, tum in Republica, curare incumbit, bona namq; conscientiæ ipsorum pars in alienæ curatione & inspectione consistit. *S. Franciscus Sal. Phil. P. 3. C. 28.*

89. Qui adhuc tyro est in spiritu, ne quærat alios convertere, sed attendat

ſibi, sequè confirmet, ac contra tentationum tempeſtates præmuniat, ſitquè humilis, neve credat ſe magnum quid feciſſe; imò nil feciſſe putet, ne eat præceps in ſuperbiam.

90. Scrupuloſi debent se omnino ſubjicere Patri ſpirituali, nec ſuo credere judicio; alioquin nunquam liberabuntur: habere quidem poterunt inducias, non tamen pacem. * Ultra hoc remedium generale, ſuggerebat ſæpe *Philippus* perſonis talibus, ut ſuos ſcrupulos flocci penderent, & motivô aſſvefaciendi ad eorum contemptum, ſolebat prohibere frequentemConfeſsionem;imò quandoque eadem de cauſa jubebat adire ſacram Communionem, quin vellet ineptias ejusmodi auſcultare. *Bacci L.2,C.105*

91. Servus DEI debet eſſe reſignatus, tam ad guſtuum in rebus Divinis copiam, quàm ad eorundem inopiam;tam ad lætitiam, quàm ariditatem ſpiritûs delibandam.

92. Res eſt ingentis plena periculi perſonis ſpiritualibus, deſiderare vi-

ſiones

ſiones;& plurimi hunc talem ſpiritum conſectati, in immanem præcipitati ſunt ruinam. * Sic autem de Viſionibus loquebatur *Philippus* gradatim. 1. quòd eſſet difficile habere viſiones, & non prolabi in ſuperbiam. 2. quod eſſet difficilius non credere se dignum eſſe viſionibus ejusmodi. 3. quod foret difficillimum credere ſe iiſdem eſſe indignum, prout etiam difficillimum eſt non præferre viſionum ſvavitatem virtutibûs Patientiæ, Obedientiæ, & Humilitatis. His addebat: Viſiones illas nullius esse pretii, quæ nil commodi ſpiritualis adferrent Perſonæ eas habenti, vel verò Eccleſiæ Chriſti ſive in Communi, ſive in particulari. *Bac. L. 3. c. 2. n. 20. ubi plura de periculis viſion.*

93. Ad perſonam, quæ poſt diuturnum virtutis ſtudium in peccatum aliquod lapsa eſt, erigendam, inq; priſtinum reſtituendam ſtatum, medium haud eſt certius, quàm inducere eandem, ad ſolennem aliquam mortificationem ſui, exgr. ut hunc lapſum ſuum aliis magnæ probatæquè virtutis, quibus con-

confidit, aperiat. Nam DEUS illam hujus heroicæ humilitatis causâ in priorem restituet statum.

94. Unusquisquè propriæ debet quietem conscientiæ procurare, ac propterea, si quando quis votum aliquod emittere cogitaret, svadebat hic Sanctus, ut plerumque adjecta conditione ex. gr. *si potero, si fuero recordatus*, vel alia simili, nuncuparetur.

95. Debemus nos penitus in manus DEI resignare. Nam si quid à nobis desideraverit DEUS, faciet nos in eo, in quo nostrâ velit uti operâ, præclaros, atquè excellentes. * Utrum autem in hac, vel illa re, tali modô, tali tempore, DEUS velit uti nostra, & non alterius operâ, id discernere, dictô hujus Sancti, poterat obedientia vera. *Vita L. 1. C. 20. n. 21.*

96. Si quis Religiosus advertit se esse in Ordine dissoluto, nihilominus inflammatum in se ad omnem perfectionem sentiat spiritum; non debet, desertô suo, alium intrare Ordinem, sed in eo, in quo est, perseveret: nam DEUS

vult ipſius uti operâ, ad propriam bonô ejus exemplô Religionem inſtaurandam. * Et generaliter quævis mutatio Statûs ſuſpecta erat *Philippo*, dicebatq; non eſſe tranſeundum ab uno Statu bono ad alterum etsi meliorem, quin præcedat ſeria diſcuſſio, & magna ea de re conſultatio, *ſæpe enim dæmon transfigurat se in Angelum lucis. & ſub prætextu rei melioris inducit hominem ad rem bonam deſerendam.* Bacci *L.2.C.21.n.9.* Eadem eſt doctr. *S. Sal.* quam habes in ejus *Philot. P.3.C.37.*

97. Defectus naturales, uti ſunt: eſſe claudum, ſtrabonem, & id genus alii, nulli debent exprobrari. ** Fuſiùs idem in S. Saleſ. Spir. *P.12.c.6.* relatè ad S. Script. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

98. Ne nimiùm sis præceps ad commonendos defectuum ac imperfectionum Fratres; ſed priùs te ipſum, deinde alios conſidera; utere quoq; prudentiâ.

99. Taliter deberet unuſquisqué, & tam ſanctè in dies vivere, atque ſic omnes

mnes ſuas inſtituere actiones, ac si is dies vitæ ejus foret poſtremus. * Non solùm autem mortem, ſed & cætera noviſſima aſſiduè meditanda, tyronibus præſertim, commendabat, ſolitus dicere: „*Quicunquè non deſcendunt in infernum viventes, iis profectò ne mortui eò caſuri ſint, ſummum periculum eſt.*„ Bernab. C. 14. n. 189. ** *Deſcendamus in infernum viventes, ne deſcendamus morientes.*

100. Omnes perſonæ amore diligantur vero, nec unquam ob quæpiam verba in te effuſa, hauſtasq; diſplicentias, odium in aliquem fove, nam in quo corde non eſt amor proximi, in eo etiam DEUS non eſt.

101. Qui ſibi triſtitiæ nebulas oboriri animadvertit, ne eo turbetur, brevi enim evaneſcent: interim tamen ad diſpellendam inordinatam illam paſſionem, orandum eſt aliquid, aut hymnus quiſpiam ſpiritualis decantandus.

* Non patiebatur autem *Philippus*, ut juvenes eſſent melancholici, &, si quempiam eorum videret ſubtriſtem,

mox

mox caufam inquirebat, fubjungens: *Esto hilaris*: quin, ob longam in directione animarum experientiam, folebat dicere: *Multò facilius per viam fpiritualem deducuntur homines hilares, quàm melancholici.* Unde etiam erga hilares ferebatur propenfione quadam fpeciali. *Bacci L. 2. C. 7. n. 7.*

102. Ad præftandam fuperioribus obedientiam, promptum effe oportet; & ad alienam magis, quàm propriam, exequendam voluntatem.

103. Qui primum fibi in cœlis locum defiderat à Chrifto delectet fe femper ultimo in terris locô; & si quis fui non effe habitam advertit rationem, agat DEO gratias, fperetque fuum fibi in cœlis honorem iri affervatum. * Quod fvadebat cæteris ifte Sanctus illud praxi monftravit in fe ipfo, renunciando dignitati Cardinalitiæ. Et cum aliquando quidam fui Pœnitentes, ex ratione tantæ acceptionis apud Pontifices, innuiffent Ei dignitates Ecclefiafticas, refpondit in hæc verba: *Filii mei, optarem potius immitti mihi à*

DEO mortem, vel sagittam, quàm cogitationem harum dignitatum. Desidero quidem Spiritum atq; virtutem Pontificum & Cardinalium, sed non eorum præeminentiam. Bacci L. 2. C. 16. n. 7.

104. In meliorem partem accipiamus omnia, nec facta aliena dijudicemus; misereat item nos defectuum alienorum, certos, lapsuros nos longè graviùs, nisi à DEO singulariter fulciremur; & qui donum aliquod, dotemquè notat in se, ne inde superbiâ intumescat, sed DEO, à quo omne procedit bonum, debitas agat gratias.

105. Quærendus ibi Christus est, ubi non est, id est: in cruce, & tribulationibus, ubi Redemptor, utpote gloriâ coronatus, modò non invenitur. Interim, qui affligitur, ne indulgeat querelis, cùm tribulationes, nobis à DEO amantissimo Patre nostro, Dominoq; clementissimo, nonnisi ad majorem in cœlo coronam promerendam immittantur.

106. Quotidie legatur aliquantulum de libro quopiam spirituali, memoriæquè

què singularis inde aliqua sententia, in majorem animæ profectum insigatur.

107. Cúm quidpiam emendum erit, id non ex affectu erga rem, sed ex indigentia, atquè usu faciendum est. Unde Sanctus hic dictitabat: *ego non emo affectus.*

108. Communionis sacræ tempore, remedium à DEO petendum est illi præcipuè vitio, ad quod quis se magis sentit trahi, atquè inclinari. * Ipsemet autem *B. Philippus* perpetuo atq; ardenti studiò venerandum Eucharistiæ colebat Sa cramentum, vel enim laicus, vel Sacerdos celebrans, vel ægrotans in lectulo, illius quotidiana susceptione reficiebatur. *Bulla Canon.* §. 56.

109. Cùm quis altaria visitat, petat à Sanctis, quibus ea dicata sunt, eleemosynam spiritualem; cùm id multum conferat ad reassumendum spiritum & devotionem excitandam. * Coronidis locô addenda venit brevissima *S Philippi* sententia: CÆLUM NON EST CONDITUM PRO PIGRIS: hanc autem sententiam cùm aliàs sæpe, tum vel maxime

ximè eo tunc usurpabat, cum Eidem ingravefcente ætate fvaderetur, ut habito annorum refpectu, de rigore vitæ remitteret: ille siquidem quò magis procèdebat in annis, eò majori abftinentia corpus fuum emaciabat, ne quidem decrepitæ parcens fenectuti. *Bacci L. 2. Cap. 14. num. 9.*

Atquè hæc, hifquè plura erant Sancti hujus documenta, & tale lumen illi Deus, ad gentes in hoc caliginofo mundi deferto illuminandas, concefserat, quô tot perfonas, quæ in umbra mortis sedebant, illuftravit, fuisq; erroribûs extricavit. Sed omnia hæc funt nonnifi paucæ quædam guttulæ ex fonte illo uberrimo, quem DEUS in ipfo excitârat, & quô arida populorum corda irrigabat, ut in iis æternitas beata germinaret.

ORATIONES JACULATORIÆ *S. PHILIPPI NERII.*

Sicut Tu fcis ac vis, ita fac mecum Domine (& hanc dicebat, siquam abfolutiffimam effe orationem.)

Id

Id mecum fiet, quod DEO placet: confido DEO.

O! lumen luminum illumina mentem meam.

Non poſſum amare Te, nisi Tu Domine adjuves me.

Vellem tandem aliquando ſemel amare Te JESU mi.

Non cognoſco Te, Domine: quia non quæro Te ex corde.

Quæro Te Domine, & non ſcio invenire Te, quianon ſcio quærere Te.

Si cognoſcerem Te o! DEUS cordis mei, cognoſcerem etiam meipſum.

Accende Domine, in medio cordis mei flammam Divinam amoris Tu beatiſſimi.

Da mihi gratiam JESU mi, ut veniam ad Te non timore coactus, ſed amore tractus.

Quando erit illa dies, bone Domine, ut amem Te ſolum idque amore filiali?

Quid poſſum facere pro Te o! Domine? amare Te, & facere id, quod placet Tibi.

Doce

Doce me facere voluntatem Tu-am DEUS meus, doce me.

Nolo aliud, ac ſanctam Tuam, Domine mi! facere voluntatem.

Fiat, uti ſit in cœlo, ſic in terris etiam voluntas Tua.

Quare abſcondis Te, DEUS, ab oculis meis?

Virtus mea infirmata eſt, reſponde Tu pro me Domine, qui potes.

DEUS in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina.

Nil poſſum boni facere ſine Tuo, o benigniſſime JESU! auxilio.

Cadam, Domine, si tardas Te cum ſuccurſu.

Aufer Domine impedimenta omnia, si vis me, ut veniam ad Te.

Tu es via, veritas, & vita, o! Domine mi.

Mihimet diffido ipsi; & Tibi Domine confido ſoli.

O Salvator JESU o JESU ſalva cor meum.

Obliviſcere, Domine mi, meorum omnium peccatorum.

O

O Sanctiſſima TRINITAS, unus & verus DEUS, miſerere mei.

Si omnia in mundo bona ſolus ego facerem, quid iſtud tandem eſſet?

Benedicta Domina, hanc mihi præſta gratiam, ut tui memor ſim ſemper.

Virgo Mater, Mater & Virgo!

Virgo MARIA, Mater DEI, ora JESUM tuum pro me Filium.

Hanc orationem perſæpe dicebat S. Pater, ut pote qui extraordinaria devotione in Sanctiſſimam Virginem ferretur: docebatque eam alios, maximè ut eam locô *Ave MARIA* dicerent, in defectu temporis pro Roſario orando: dictitabatq; amari eos ac diligi à Virgine Sanctissima, à quibus diceretur *Virgo* & *Mater DEI*, & à quibus priùs benedictum Nomen *JESU* ejus Filii, quàm ipſa nominaretur.

Omni die renovare debemus propoſitum noſtrum, & ad fervorem nos excitare, quasi hodie primum ad converſionem veniſsemus, atque dicere: Ad-

juva

juva me, Domine DEUS, in bono proposito, & ſancto ſervitio tuo: & da mihi nunc hodie perfectè incipere, quia nihil eſt, quod hactenus feci. *Thom. à Kemp. de Imit. Chr. L. 1. C. 19.*

Quidam Religioſus, ut refert Cæſarius, impetravit ſibi gratiam ex hac vita migrandi ſine purgatorio ad Cælum hâc precatiunculâ.

DOMINE JESU per illam amaritudinem, quam ſuſtinuiſti prop[illegible] me in Cruce, maximè quando Anima tua benedicta egrediebatur de corpore tuo: miſerere animæ meæ in egresſu ſuo. *Vel:* Domine JESU inſtanti mo[illegible]tis tuæ, & inſtanti mortis Matris tuæ, omniumque Electorum tuorum, inſt[illegible] mortis meæ commendo: benedic iſti propter illa.

IMPRIMA[illegible]
Dat. facultas Die 20. 9bris Annô 1[illegible]
VINCENTIUS
JEZIERSK[illegible]
Scholaſticus Cathedralis Cam[illegible]
Judex Surrogatus Lublinens[illegible]



E